Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1741
Quelle:
Copyright:

liceat Communitatibus legi christi quoad illos salutares quatuor articulos adherentibus vnum uel plures Episcopos eligere ac instituere absque Romani pontificis ac aliorum Episcoporum consecratione pariter et assensu, qui iura et officia Episcopalia in clero et populo prosequantur consueta. Noti sunt IV. illi *Articuli Pragenses* anni 1421. Quaestionique ansam dedisse videtur Sacerdotum in *Bohemia* sensim deficiens numerus, quod Episcopi Catholici *Husso* addictos ordinare nollent. Est vero illa imperfecta; definit enim in argumenta negantia.

XI. *fol.* 155. *Vtrum inter sacramenta veteris et noue legis ipsa sola noue legis sacramenta in signis sensibilibus instituta sint gratie medicinalis collatiua.* Adfirmatur.

XII. *fol.* 167. Sermo *Magistri Jo. Hus in sinodo*, et quidem 1407. *in die sancti luce*, ut notatum ad calcem. Thema: *State succincti* &c. Initium: *Cum triplex turba christiani exercitus* &c. Ut edit. *cit.* T. II. p. 47.

XIII. *fol.* 182. *De varijs modis mortale committendi peccatum.* Incipit: *Peccatum mortale septem modis perpetratur* &c. Item de Distinctione Peccatorum capitalium et minutorum.

XIV. *fol.* 189. *Ad probandum quod Christus sit deus.* Loca Scripturae congesta, additaeque Objectorum Solutiones.

XV. *fol.* 201. Sermo adhortatorius ad sumendam duplicem Speciem Eucharisticam. Init: *Patres ac fratres* &c. *In omnibus me defectuosum reperiens contremisco* &c. Exordium istud huc translatum est e Sermone *Hussi de diligendo Deo*, qui extat T. II. *Opp.* p. 39. eoque absoluto primum incipit Sermo de Sacramento, et quidem ita: *Patres, domini* &c. *Si quid in meo ingeniolo vestra bonorabilitas ac discrecio* &c. Adhaeret brevis Adhortatio de reverenter habendo hoc Sacramento, ubi inter alia: *Item si sunt aliqui inter nos hic residentes, qui forsan essent contra communionem parvulorum, non aduersentur, quia censerentur infideles* &c. Difficile est non indignari Hominibus, qui, dum circa Sacram Caenam quaestiones e quaestionibus subtilissimas juxta et inutilissimas movendo argutabantur, simul vix verba reperiebant, quibus *supertremendissimum, et diuinissimum, et stupendissimum* hoc *Memoriale* efferrent.

CCCCXLII.

Codex chartaceus lat. Sec. 905
XV. Folior. 287. 4. non una manu descriptus et ad *Bohemiam*, fortasse ad *Jacobum* ipsum *de Misa*, cujus nomen Thecae posticae intus: *Jacobellus de Misa*, minio adjectum est, pertinens Sequentia exhibet: I. Articulos *Sbinconi* Archiep. *Prag.* contra *Job. Hussum* oblatos, et hujus Responsa, quorum initium: *Reuerendissime pater. Ad instantes preces* &c. Ut *Cod.* CCLI.